

wichenen Mönchen gegen ihn erhoben wurden, und bricht dann plötzlich ab (das weitere ist nämlich weggerissen). Aus einem beigefügten Verzeichnis des Klosterarchivs ersehen wir, dass die Aebte von Wilhering und Hohenfurt die Untersuchung gegen den Abt Georg Huber führten („Generalis ordinis commisit abbatibus Hilariensi et Altovadensi S. Coronam visitandi, abbatem corrigendi et si opus sit deponendi“). Abt Huber wartete nicht auf den Abschluss der Untersuchung, sondern resignirte auf seine Würde am 5. Februar 1623.

Descriptio

tinis Obsidum Religiosorum Monasterii Ossecensis a Militibus Borussiae abductorum
In bello Septennali Anno 1759, die 18. Novembris.

Herausgegeben und mit Anmerkungen begleitet von Athanas Wolf, O. C.

Vorbemerkungen des Herausgebers.

Unter obigem Titel hat P. Stephan Schenk, Professor des Stiftes Ossegg, jene Schicksale beschrieben, welche er mit elf Mitbrüdern in mehr als dreijähriger, preussischer Haft (18. Nov. 1759 bis 1. April 1763) erlitten. Indem ich diese tagebuchartigen Memoiren, welche der Verfasser theilweise aus früheren Notizen, theilweise aus dem Gedächtniss zusammengestellt, der Oeffentlichkeit übergebe, bin ich von der Ueberzeugung geleitet, dass diese Publication auch in weiteren Kreisen Anklang finden werde. Der Gegenstand an und für sich ist nicht bloss für den Ordensbruder, sondern auch für den Geschichtsschreiber von Interesse, da hie und da grell beleuchtende Streiflichter auf damalige Verhältnisse geworfen werden. Der interessante Stoff erscheint in ebenso anziehender Form; die Darstellung ist fern von dem trockenen Chronikenstile, sie ist fliegend und vermeidet jede langathmige Breite.

Dies glaubte ich vorausschicken zu müssen, um die Publication der Hs. zu rechtfertigen, obwohl sich dieselbe durch sich selbst rechtfertigen würde. Für diejenigen verehrlichen Leser nun, welche mit der Geschichte des Stiftes Ossegg nicht näher vertraut sind, sei es mir erlaubt, einige geschichtliche Bemerkungen folgen zu lassen, welche das Bild, das P. Schenk von den Drangsalen Ossegg's im siebenjährigen Kriege entworfen, vervollständigen mögen.

Die feindliche Invasion gegen Ossegg, welche der Verf. nachstehend berichtet, war weder die erste, noch die letzte während des siebenjährigen Krieges. Man kann sagen, dass die Regierungszeit des damaligen Abtes Cajetan Brezina von Birkenfeld (1749—1776) eine der stürmischsten war, da

Ossegg von den feindlichen Truppen mehr als einmal mit Zerstörung bedroht und thatsächlich bis auf die nackten Mauern ausgeraubt ward. Folgende kleine Uebersicht mag das Gesagte illustriren:

1756, 19. Sept.: Erste Contribution, erhoben durch Major v. Bay.

1756, 23. Oct.: General v. Manstein verlangt 100.000 fl.; da man bloss 18.000 fl. aufbringt, werden zwei Brüder als Geiseln nach Torgau geführt.

1759, 19. Apr.: Zwei Brüder in preuss. Haft in Leipzig.

» 17. Nov.: Ueberfall durch General Kleist; der durch die Plünderung verursachte Schaden beziffert sich auf 88.000 fl. — 12 Brüder als Geiseln nach Sachsen geschleppt (18. Nov.).

1760, 1761: Beständige Einquartierung.

1762: Nochmalige Plünderung durch Kleist. Der Schaden beträgt gegen 34.000 fl. Da man eine neue Contribution von 10.000 Thalern nicht leisten kann, so werden zwei Brüder in Haft genommen.

1762, 3. Nov.: Ueberfall durch Kleistische Truppen. Zum letztenmal zwei Brüder als Geiseln nach Freiberg gebracht.

Der durch die oftmaligen Plünderungen und beständige Einquartierung verursachte Schaden lässt sich nicht berechnen; alle Bücher- und Kunstsammlungen wurden theils zerstört, theils fortgeschleppt; die heutige Bibliothek wurde erst nach dem Hubertsburger Frieden angelegt und entbehrt daher werthvollerer Handschriften.

Diese kurze Skizze diene zur Vorbereitung auf die Schilderung eines Augenzeugen jener Periode, der seinen lebendigen Bericht mit einem kurzen Vorwort anhebt:

Ad benevolum Lectorem.

Si illi, qui per terras alienas proficiscuntur, narrare solent, quae oculis digna viderunt, profecto et illi, quos sors iniqua ad durum deduxit obsidatum, edicere et quidem non sine lamentabili voce poterunt, quae per tres continuo annos et quinque integros menses sub manu hostili experti sunt. Tales fuerunt Religiosi Ordinis Cisterciensis Monasterii Ossecensis professi, uti in parte altera Nomine et Officio describuntur.

* * *

Inter abductos ad obsidatum numerabantur sequentes:

Venerabilis Pater Prior Marianus Kern.

Pater Octavianus Proggio Provisor.
Pater Cyrillus Reinisch Regens chori.
Pater Stephanus Schenk Magister Novitiorum.
Pater Jacobus Libisch.
Pater Xaverius Zapp Portarius.

Sex Religiosi fratres Clerici nempe:

Clemens John.
Hyacinthus Reim.
Eustachius Fischer.
Engelbertus Saige.
Quirinus Pezelt.
Alexius Schülle.

Hi anno Domini 1759 die 18. Novembris in summo frigore et die Dominica propterea e monasterio abducti fuimus, quia contributionem centum millium imperialium,¹⁾ quam Summam pro tunc Colonellus²⁾ Kleist³⁾ cum Supremo vigiliarum praefecto⁴⁾ Gorbier de colonia libera (vulgo Frey-Quartier) petierunt, intra bhorium praestare non potuimus.

Non fuerat autem illis satis duodecim seligere Religiosos pro obsidibus, sed et ecclesia et conventus cum Abbatia spolianda erant, quam spoliationem nos duodecim Religiosi per duas horas durantem propriis oculis intueri debuimus. Quanta cum insolentia, quanta furia, et rabie milites ad monasterium et ecclesiam irruerint, quam indigne res sacras tractaverint, sat bene benevolus Lector advertere poterit, si omnem ecclesiae suppellectilem ablatam, calices contractos, gratiosam statuum B. V. Mariae omni ornatu et anathemate spoliata de ara ad terram deiectam, imo tabernaculum vi effractum et Sanctissimum humi prostratum perceperit.

Quemadmodum indigne tractarunt res sacras, ita et improbe habuerunt personas Deo sacratas, nam duos Religiosos Sacerdotes ad ipsam usque nuditatem vestibus exuerunt, unum in ecclesia, alterum in culina. Nolo hic alios adnotare excessus, tales enim plures commissos fuisse, quisque sibi ipsi persuasissimum habere poterit.

Unum hic adhuc silentio praetereundum minime pato, nempe : milites hostiles iam pridie expilationis causa omnes angulos monasterii

¹⁾ Reichsthaler.

²⁾ fr. colonel, it. colonello = Oberst.

³⁾ Kleist (Friedr. Wilh. Gottfr. Arnd von), geb. 1725, trat sehr jung in ein preussisches Hussarenregiment, zeichnete sich in den beiden ersten schlesischen Kriegen bei mehreren Gelegenheiten sehr aus und brachte es zeitig zum Stabsofficier. Im siebenjährigen Kriege führte er mit Geschick leichte Truppen und ward General. † 1768 zu Jäschendorf bei Liegnitz.

⁴⁾ Platzmajor. — D. H.

perlustrasse; venientes itaque etiam ad ecclesiam, et videntes lapidem sepulchralem interrogaverunt, quid hoc esset; et quia respondentibus nobis, cryptam esse, in qua nostri defuncti Religiosi confratres iacent, non crediderunt, proinde hunc locum sibi aperiri petierunt; descendentes igitur et inter alios unum observantes sarcophagum novum clavis oclusum — mortuus enim erat paucis abhinc diebus unus de nostris ex hydropi, quem hac de ratione ita occludi iussimus, ne sub sepultura corpus ruptum aut exhalaret foetorem, aut aliam causaret incommoditatem — pretiosa hic abscondita se invenisse arbitrabantur, quare petentes securim sarcophagum vi aperuerunt, videntes autem corpus Religiosi demortui, et spe sua decepti fugiendo a loco hoc recesserunt. Hoc incidenter adserere placuit ad maiorem rei notitiam.

Finita exilitione milites borussici versus Oberleidentdorfium¹⁾ secum praenominatos Religiosos per maximas nives, quae tunc temporis iam iacebant, pedestres deduxerunt absque palatrana seu lacerna,²⁾ imo absque mitra et manica, quo in loco uno bono quadrante sistentes in medio fori se reficiebant; nos Religiosi vero adhuc ieiuni, et vel inde esurie pressi, non tamen de loco nos movere ausi manus nostras levavimus ad loci illius incolas rogantes pro pane, quem cum cives flentibus oculis obtulissent et nos pauperculi vix aliquid de eo manducassemus, mox iter nostrum pedes continuare atque per montana ad pagum Kreuz-Weeg³⁾ dictum dirigere coacti fuimus.

In medio montis dum aliquantulum respiraremus, vidimus post nos venire duos currus octo bobus iunctos, in quorum primo duo sedebant Jesuitae Mariaescheinenses, qui a Residentia sua eadem sorte abducti fuerunt, nempe Venerabilis Pater Stelzl cum charissimo fratre Schiz, qui miseriae nostrae facti sunt socii. Hi duo Religiosi, quia Mariaescheina usque Ossecam iter suum pedes perficere coacti, et Venerabilis Senecio P. Stelzl iam ire amplius non valebat, proinde milites borussici ex villa monasterii nostri Ossecensis octo boves abegerunt, quos duobus curribus, nempe Domini Abbatis et Patris Provisoris iungi fecerunt, et sic hos duos Mariaescheinenses ad nos reliquos captivos advexerunt.

Transcensio monte ad praedictum pagum Kreuz-Weeg pervenimus, ubi tam parva rustici casa nobis pro hospitio assignata fuit, ut vix omnes sedere, minus in terra iacere potuerimus; nam praeter quatuor hussaros nobis pro custodia assignatos adhuc unus subofficialis austriacus et director domini Schwaite-

¹⁾ Oberleutensdorf.

²⁾ Rock, Wettermantel.

³⁾ Kreuzweg, unweit der sächsischen Grenze. - D. H.

censis¹⁾ in eodem nobiscum habitaculo captivi manserunt. Coenaturiebamus omnes, quia toto die praeter modicum panis, quem in Oberleidendorf emendicavimus, nihil commedimus; sed nec pauperculus hospes noster pro pecunia aliquid acquirere potuit, unde de farina, quam modicam adhuc habuit, pro suis militibus pastillos²⁾ coqui fecit; quos cum nos vidissemus, rogavimus et nos uxorem hospitis, ut si quid adhuc residui de farina habet, pariter pro nobis praepararet; commedimus hos pastillos coctos summo cum gustu et probavimus experimento, quod poeta canit adagio.

»Latrantem stomachum bene lenit cum sale panis.«

Contubernalis tamen noster director Schwatecensis parum aut nihil commedit, sed suspirans continuo dixit: infelix ego! vae mihi! et non vane subtimuit, militibus enim borussicis ad defectionem consilio fuit, atque ideo totam noctem insomnem transegit speculando, qualiter e manibus inimicorum fugere posset, quod et primo diluculo una cum famulo suo per devia feliciter praestitit relinquendo utrumque equum, quem secum habuit.

Nos decima nona huius mane surgentes ordinationem accepimus ad prosequendum iter, quod ut tanto facilius continuare possemus, quanto copiosiores nives in montibus ceciderunt, plaustrum nobis iunctum tribus bobus oblatum est; hoc dum quidam de nostris conscenderunt, mox iterum desilire debuerunt, quia stramen, quod in commodum nostrum et ad arcendum frigus impositum fuerat, ardere incepit, sed tamen sine damno et infortunio; apposito igitur novo stramine quidam reascenderunt plaustrum, reliqui autem pedes iverunt et sic alternatim sedendo et ambulando duos pagos saxonicos transivimus; circa quartam pomeridianam pervenimus ad pagum Dörnthal,³⁾ quo et alii obsides nempe de senatu Pilinensi,⁴⁾ Töplicensi, Grabensi deducti sunt.

Sedimus hic lassissimi tam ab aspera aura et via, quam victus parsimonia — tota enim die itinerantes nihil gustavimus, nisi modicum de militari pane, quem hussari custodes nostri ex sacciperio nobis porrexerunt; ad vesperum tamen iusculum accepimus et carnem vervecinam oleribus mixtam, et postea dura humus noster fuit lectulus. Hac nocte in tantum invaluit frigus, ut clavos in tecto rumpere potuisset; quare mane facto milites desultorii, sub quorum custodia hac nocte fuimus, nos Religiosos absque jentaculo abire non permiserunt, decurio enim mittens aliquem de domesticis ad pastorem loci petivit, ut absque mora pro 12 Confratribus — sic enim nos nominavit — sacharum et

1) Schwatz.

2) Knödeln.

3) Dörnthal.

4) Bilin. — D. H.

Caffé submittat; excusavit quidem se hic pastor dicens: se non esse provisum, quoniam vero praefatus decurio altera vice misit cum minis semetipsum cum suis subordinatis militibus venturum, nisi petium ientaculum submiserit, proinde timens malos hospites tot nobis phialas praeter petium Caffé et sacharum misit, quot numero Religiosi fuimus. Nos pro hac bona provisione gratias agentes Deo et procuratori subofficiali, qui in hac necessitate indigentibus tam solícite providit: ex hoc pago per multas nives monticulum ascendimus, ubi summo in frigore ultra horam sistere coacti fuimus. Quantum frigoris hic sustinuerimus, facile quisque sibi imaginari potest, si sciat nos sola veste religiosa indutos, absque mitra et manica de loco professionis abductos fuisse. Milites de equis suis descendebant et quidquid ligni acquirere poterant, ense comminuebant, ignemque, ut se calefacere possent, excitabant, nos autem per spatium triginta circiter passuum huc et illuc discurrebamus, ut ita cursitando nos a frigore defenderemus.

Tandem accepta ordinatione pro ulteriori itinere aliquos transeundo pagos Freybergae appulimus, ubi cum reliquis captivis militibus austriacis per paria introducti, quemadmodum in processionibus fieri solet, spectaculum facti sumus hominibus. Assignatus est nobis pro habitatione »aureus leo,« in qua domo, postquam tribus diebus morati fuisset, Venerab. P. Prior cum Patre provisoro hac ratione a Colonello Kleist absoluti et ad monasterium remissi sunt, ut circa petitam contributionis summam solliciti et nos a duro obsidatus iugo redimerent; fuit etiam gratis dimissus Ven. Senecio ¹⁾ P. Stelzl Jesuita Mariaescheinensis utpote vir decrepitu et senio confectus, remanente nobiscum charissimo fratre Schiz pro tunc socio Procuratoris.

Contigit autem eodem tempore, vigesima prima Novembris, hoc est in festo Praesentationis B. V. Mariae, ut ab Austriacis caperetur borussicus Generalis Fink ²⁾ cum aliis novem Generalibus et omnibus suis copiis, quas commendabat, quindecim nimirum millibus, proinde timens Colonellus Kleist, ne forte per austriacum militem nos libertati restitueremur, Freyberga nos transferri fecit Wittenbergam. Indicata nobis fuit haec transmigratio 24. Novembris et subsequo die, quae erat Dominica, media duodecima prandii iam venit ad nos Subcenturio seu ut vulgo vocant Lieutenantius de regimine hussarorum Domini Kleist cognomine Tentsch, cum quo post mediam horam huic loco valedicere

¹⁾ Greis.

²⁾ Fink (Friedr. Aug. von), geb. 1718 zu Strelitz, nahm 1744 preussische Dienste. 1759 Generallieutenant, zeichnete sich mehrfach aus, ward aber, nicht ohne Schuld Friedrich II., mit seinem Corps bei Maxen von den Oesterreichern gefangen (1759). — D. H.

cogebamur. Fuerat unus de nostris confratribus¹⁾ ex infirmitate lectulo decumbens, qui per subofficalem Colonello supplicavit, ut interim hic manere posset, donec sanitati restitutus ceteros sequi valeret; hoc audiens Adiutantius Domini Kleist, subofficalem remisit cum dicto: si bestia haec sub via mori deberet, migrandum ipsi est. Nos igitur omnes, quia a monasterio abducti sumus absque baculo et sacculo, proinde ne deficeremus in via, hic a bono amico viro perpetua memoria digno emutuavimus 35 aureos²⁾ et sic in nomine Domini ambulavimus una cum infirmo duo milliaria usque ad pagum Gross-Voigtsdorff³⁾ dictum, ubi cum militibus eandem sumentes coenam eundem etiam habuimus lectum, nempe terram paucis substrato pisorum stramine.⁴⁾ Nocte urens spirabat ventus, vi cuius nives adeo potenter resolvi coeperunt, ut viam nobis valde difficilem reddidissent, nisi praefatus Subcenturio nobis pro equitatione illos equos gratiose obtulisset, qui in praedam ipsis ceciderunt. Vigesima sexta Novembris sumpto cum militibus iusculo ascendimus singuli equos excepto Patre Stephano, qui ob infirmitatem cum uno laeso subofficiali borussico iussus fuit ascendere currum sui Domini Abbatis, hunc enim currum uti et Patris provisoris devexerunt simul Wittenbergam; an dein hos vendiderint ibi aut ulterius promoverint, nos latet.

Quam mirus hic fuerit conductus et comitatus, iam inde benevolus Lector coniecere potest, si tot Religiosos in sua veste et caputiis cum militibus equitantes quasi coram intueatur; iam enim unus erat niger, uti charissimus Schiz Jesuita, alii albonigri quemadmodum nos Cistercienses, et quia equitantes mixtim cum hussaris per multa loca transivimus, sicut per civitatem Nossa,⁵⁾ ideo homines isti evangelici, qui nunquam Religiosos in suo habitu viderunt, nos iam habuerunt pro Moscovitis seu cosacis, alii iterum pro uxoribus officialium militum, et alii alios sibi formaverunt conceptus. Nos continuantes iter nostrum circa 3tiam venimus ad pagum Schweinitz,⁶⁾ ubi per noctem manentes prandium simul cum coena sumpsimus sub una specie, carne nimirum vervecina.

Die 7ma, id est 27 Novembris sumpto militari ientaculo hoc est: vitro cremati,⁷⁾ ascendimus iterum equos, et iter nostrum

1) Der Verf. dieser Chronik.

2) Goldgulden.

3) Vielleicht irrtümlich statt: Grossvoigtsberg.

4) Wickenstroh.

5) Nossen.

6) Schweinitz.

7) Glas Branntwein. — D. H.

dirigentes per civitatem Oschaz¹⁾ in pago Merkowiz²⁾ soli sine custodia pernoctavimus. Novembris 28 sumpto iterum militari ientaculo equitavimus per civitatem Dalem⁴⁾ et Torgaviam,³⁾ ubi multi spectatores occurrentes nos de novo aliquo regimine militari esse credebant, alii iterum nos esse campestres capellanos existimabant et sic continuo sub novo semper schemate ac titulo hominibus facti sumus spectaculo; mansimus vero in pago Zeckeriz,⁵⁾ ubi sicut brevis erat coena, ita et levis quies nocturna. Novembris 29 ex hoc pago discedentes pervenimus ad civitatem Jessen ubi epidemeticus,⁶⁾ qui nos semper praecedere solebat, talem fecit ordinationem, ut cuilibet nostrum hospitium seorsim assignatum fuerit, nos autem, cum hucusque nusquam divisi habitaverimus, rogavimus Dominum Subcenturionem, quatenus et hic tanquam filii unius matris seu monasterii in unum habitare possemus, quod et gratiose concessit; quia tamen iam quilibet civis pro Religioso hospite suo prandium parari iussit, proinde non solum paratum prandium ad domum, ubi omnes simul habitavimus, deportari fecit, sed etiam ipsimet cives nos accesserunt, et sicut quoad victum erga nos benefici fuerunt, ita et in conversatione se valde affabiles atque humanos exhibuerunt.

Trigesima huius gratias agentes benefactoribus nostris iam per paucos pagos ad stationem nobis praefixam, nempe Wittenbergam contendimus, ubi quidem feliciter appulimus, sed in domum adeo vilem et ruinae proximam inclusi fuimus, ut penuriam omnium necessariorum passi simus. Fami, siti et frigori iam iam utcunque assuevimus, hic autem novum patientiae genus nos addiscere oportuit. Canere aut potius lamentari cum poëta possum:

»Pediculi, cimices, pulices, quoque nostra fuere

Turma . . . «

quibus ita abundare coepimus, ut ab illis nos eliberare propterea non potuerimus, quia praeter unicum indutium, quo induti fuimus, plura nobiscum non habuimus. Visitavit nos cum permissione commendantis Illustrissimus Dominus Comes Vitzum⁷⁾ quondam Generalis Aulae Saxonicae, qui Wittenbergae tunc

1) Oschatz.

2) Merkwitz.

3) Dahlen.

4) Torgau.

5) Zeckeritz.

6) Einheimischer.

7) Vitzthum (vicedominus), adeliges, zum Theil gräfliches Geschlecht in Sachsen. — D. H.

temporis privatam duxit vitam, sicut et alii eiusdem Aulae Officiales militum, qui penes Königstein a Borusso capti servitium Regis Borussiae suscipere renuerunt. Hic cum miseram nostram vidisset habitationem, misertus super miseria nostra, aliam nobis procuravit, quam dum altera die adire cogitavimus, ecce! sors sinistra nobis ulteriorem migrationem indicavit. Postquam enim in quintum diem inclusi hic quemadmodum aviculae in caveis haesimus, 4ta Decembris ad vesperum quidam Officialis borussicus diem crastinum pro abitu ad Magdeburgense fortalitium¹⁾ assignavit, quod iter sequenti die, id est quinta Decembris, inchoavimus, et quosdam pagos transeuntes ad civitatem Koswick²⁾ pervenimus, ubi pernoctantes coenam parvam sat magno pretio, id est 11 f., solvimus.

Sexta Decembris abinde Servestam³⁾ curruliter transportati sumus; est haec civitas satis ampla, et ut ex concursu hominum utriusque sexus advertere potuimus, multum populosa; hoc in loco cum plaustro nostro sistere debebamus in medio fori cincti militibus ad mediam fere horam, forte ex hac ratione, ut omnis plebs et populus, qui milleni et milleni accurrebant, nos melius intueri posset; tandem descendentes de curru, et ducente nos quodam officiali cum subordinatis militibus pro nostra custodia ad «rubrum cervum» hospitium nostrum, turba multa praecedebat et sequebatur; putaverint homines isti, se videre monstra sub habitu Religioso, quemadmodum nostri Confratres, qui ante nos in obsidatu fuerunt, pro similibus habiti sunt, dum eodem belli tempore 1758 Lypsias⁴⁾ ducti sunt; hi enim dum per diversa oppida, civitates et pagos transirent, contigit, ut in certo loco prandium sumerent, ubi cum hominibus adultis etiam pueri, puellae hos Religiosos videndi causa accurrentes dicebant: ecce! hi edunt et bibunt, sicut nos, manus et pedes habent sicut nos, loquentur atque discurrunt sicut nos. Si ergo homines illi, qui Servestae ad nos videndos concurrebant, pro simiis aut monstris nos habuerunt, nemini hoc mirum videri debet, cum iam parvuli heterodoxorum in suo Abecedario Religiosos ac Sacerdotes catholicos sic depictos habeant, uti nosmetipsi oculis nostris perspeximus. Quidquid autem populus ille de nobis senserit, qui Servestae ad hospitium usque nos comitatus est, tamen postquam per fenestras nobiscum locuti et cum permissione Officialis, sub cuius custodia fuimus, ad cubiculum nostrum accedere ausi, nostramque humanam conversationem experti fuissent, misericordia

¹⁾ Festung.

²⁾ Coswig.

³⁾ Zerbst.

⁴⁾ Leipzig. — D. H.

moti optima lectisternia ultroneë nobis obtulerunt bonamque coenam parari fecerunt.

Septima Decembris mane circa horam nonam plaustrum conscendimus et ad oppidum saxonicum Gommern dictum cum comitatu 500 captivorum militum appulimus. ubi ad tam exiguum hospitium ducti fuimus, ut nec aliquid pro refectioe, nec stramen pro quiete acquirere potuerimus; sed haec praefiguratio erat futurae miseriae nostrae, quam Magdeburgi experiri debuimus.

Nam octava Decembris, quae erat festum B. V. Mariae Immaculatae, Magdeburgum venientes ad propugnaculum seu citadellum introducti sumus, et quidem ad tam obscurum, tam sordidum et foetidum locum, ut si per decursum unius mensis in eo nobis manendum fuisset, omnes successive mortem oppetivissemus. Sed Deus ter optimus maximus, qui suos non nunquam premi sinit, non tamen opprimi, misit nobis consolatorem Patrem Adalbertum Genan Ordinis S. Dominici, qui eodem tempore Magdeburgi officio fungebatur capellani campestris pro militibus catholicis in praesidio existentibus; hic in eodem propugnaculo habens domicilium suum, nos accessit, et multum nobis in loco tam angusto reclusis compatiens, prandiolum imprimis per suam coquam parari fecit, dein vero apud Principem Hasso-Casselanum, qui tunc temporis Gubernator erat Provinciae Magdeburgensis, omnem lapidem movit, quatenus ad commodius hospitium nos transferri iuberet, quod et altero die circa duodecimam pomeridianam factum est; haesimus ergo in istis coecis cryptis 24 horis, et translati fuimus in civitatem et quidem ad ceruleum lucium, ubi pro unico cubiculo et camera excepto victu menstrue 24 imperiales solvere debuimus. Hic incidenter adhuc notare volui, nos in citadello praeter Ven. P. Dominicanum adhuc unum Patronum sortitos fuisse, qui nostros deiectos animos erigere conatus fuit per duas lagenas boni vini et bis coctos panes, fuerat iste certus Dominus Abbé de Brade natione gallus, qui propter certas falsas theses patria sua clam discedens apud Regem Borussiae tantam gratiam invenit, ut quocumque Rex pergeret, hic Abbé a latere eius foret, doctus enim vir erat; contigit autem eodem septennalis belli tempore, ut Rex militem suum duceret contra armadam gallicam penes Rossbach, quam etiam Rex stravit ac vicit. Frater Regis, Princeps nempe Henricus,¹⁾ qui tunc cum exercitu suo mansit in Saxonia, suasit huic Abbé, ut maneat interim apud se, donec Rex redeat;

¹⁾ Prinz von Preussen (Friedr. Heinr. Ludw.), 3. Sohn Friedrich Wilhelm I. und Bruder Friedrich II., geb. zu Berlin 1726. Er deckte, als Friedrich II. 1757 nach Schlesien zog, die Südgrenzen des preuss. Staates, wobei er ein eminent strategisches Talent entwickelte. Vgl. Vie privée, politique et milit. du Prince Henri de Prusse. Paris 1809. — D. H.

Rex autem observans hunc Abbé abesse de latere suo, cum indignatione dixit ad suos: voilà cette canaille! ecce nequam istum! ego vado pugnaturus contra suos patriotas, ideo ille recessit, et mox ferens sententiam decrevit, ut captivus duceretur ad fortalitium Magdeburgense, in quo tamdiu poenam hanc innocenter tulit, donec stabilita pace honori et Regis amori restitutus ab eodem Canonicus Wratislaviensis denominatus fuisset, ubi, ut audivimus, piam et exemplarem ducit vitam.

Victus Magdeburgensis miser est, nam nec iusculum coquere bene possunt nec embamma parare, et carnes plerumque salsas aut fumatas amant; dies autem esuriales veri dies ieiunii sunt, quia praeter haleces¹⁾ substantialis cibus nullus invenitur, de salpa²⁾ vix per annum aliquid videtur. Decembris 12ma, quae erat dies Dominica, favente Principe Hessencasselensi et annuente praefecto vigiliarum (vulgo Plaz-Major) celebravimus missam in praefato propugnaculo, nulla enim alia catholica ecclesia in ipsa civitate existit, ut iam supra memini in descriptione mei itineris ad Belgium,³⁾ et hanc celebrandi gratiam habuimus quatuor vicibus, nempe duobus sequentibus diebus Dominicis et festo S. Thomae Apostoli; alius autem exitus nobis non licebat, quia custodia militaris extracta framea continuo ad portam cubiculi nostri stabat; in praedicto tamen festo S. Thomae post meridiem eundi ad metropolitanam ecclesiam a Commendante impetravimus licentiam cum uno milite nos comitante. Hac in ecclesia visu atque notatu digna invenimus sequentia: altare maius ex integro de pulcherrimo marmore rubro constructum est, ipsa vero mensa eiusdem altaris de lapide saphiro aestimatur supra unum millionem imperialium; ante gradus maioris altaris ostenditur rotundus lapis albus arena superstratus, in quo apparet sanguis Udonis quondam Archiepiscopi, de quo magdeburgensis chronica⁴⁾ haec habet: illum primo monitum his verbis: »Udo! Udo! cessa a ludo!« at in malo pergentem iusto iudicio Dei ante maius altare et, sicut fert historia eiusdem loci, per manus S. Mauritii cathedralis ecclesiae Patroni decapitatum esse.

(In sequenti fasciculo materia incoepa finietur.)



¹⁾ halax (halec) = Häring.

²⁾ = Stockfisch.

³⁾ Der Verfasser hat eine Beschreibung seiner Reise nach Ostende (1780) hinterlassen.

⁴⁾ Nach einer Angabe des Verfassers an anderer Stelle: Dominik Wenz, reg. Chorherr, in seinem „liber exemplaris.“ — D. H.